



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1613**

Avctarivm Ex Roberto Altissiodorensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

**AVCTARIVM**  
**EX ROBERTO ALTIS-**  
**SIODORENSI.**

*Vt dies diem docet, cum in Indice rerum  
 conficiendo laborarem, oportune in-  
 cidi in Chronologiam rerum toto or-  
 be gestarum, ab eius origine, usque ad  
 annum Christi 1200. à Roberto cæno-  
 bij S. Mariani apud Altissiodorū,  
 Ord. Præmonstratensis Canonico, con-  
 scriptam, typis q̄, editam anno 1609.  
 Trevis in Gallia. In ea, quia non pauca  
 leguntur, ad eiusdem Ord. illustratio-  
 nem, visum fuit illa per modum Au-  
 ctarij subijcere.*

Notet autem Lector dici, Altissiodorum, An-  
 rissiodorum, & Autissiodorum.



**A**nno 1118. Gelasius Papa, indi-  
 cto Remis cōcilio, transgrediēs  
 Alpes, in Gallias venit, ad quē  
 vir Dei Norbertus nudis, vt erat,  
 incedēs pedibus accessit: ei q̄; animi sui pro-  
 positū pandens, licentiā & auctoritatē se-  
 minādi ubiq; verbū Dei accepit. Inde vsq;  
 Valētianas rediēs infra 15. dierū spaciū, tres  
 socios, quos solos habebat, morte prærep-  
 tos amisit, & ibi p̄ trib. vnū recepit. Hugonē  
 sc. q̄ ei in regimine Præmōst. Eccl. successit.

**A N N O**  
**1 1 1 8.**

Norbertus  
 venit ad  
 Gelasium II.

Inde Valen-  
 tianas.

Anno

ANNO  
1119.

Anno Domini 1119. Gelasius Papa Clu-  
niaci moritur, & Guido Viennensis Ar-  
chiepiscopus, Stephani Burgundiorum  
Comitis germanus in Papam eligitur, &  
ab eo Concilium à Prædecessore suo indi-  
ctum Remis celebratur.

*Remos ad  
Calixtū. II.*

Porrò prædicto Concilio Remis cele-  
brato, vir Dei Norbertus, vt erat, nudis  
pedibus affuit, vbi ab Episcopis & Abbati-  
bus qui conuenerant cum gaudio susce-  
ptus est, admirantibus cunctis super ex-  
cellentia verborum prædicationis, & re-  
sponsis eius, & super asperitate assumptæ  
pœnitentiæ & vitæ duritate, de qua cum  
rogaretur à plurimis sibi paululum rela-  
xari nullatenus acquieuit. Auctoritatis ve-  
rò Apostolicæ literas acceptas à Papa Ge-  
lasio, renouari sibi petijt à Calixto, quod  
ille benignè annuit, eumque venerabili  
*Bartholomæo* Laudunensi Episcopo atten-  
tius commendauit, vt eius curam ageret,  
ei que locum ad remanendum in suo epi-  
scopio prouideret. Qui eum libenter ex-  
cepit, & finito Concilio, Laudunum dedu-  
xit. A quo cum Ecclesiâ B. Martini viro  
Dei offerretur, tum propter vrbs viciniam,  
tum quia eiusdem Ecclesiæ clerici, propo-  
siti & vitæ eius austeritatem horrebant,  
eam reliquit, & ab Episcopo diuersis eius-

dem

dem prouinciæ locis religioni congruentibus sibi ostensis, tandem diuinitus in loco *Præmonstratēsi* refedit, ibique solitarius religiosam vitam agere cœpit, & tempore quadragesimæ ad colligendos socios solus egressus, ante Pascha cum 13. socijs redijt, & cum his in *Præmonstrato* loco secundum canonicæ institutionis normam ad tenorem regulæ B. Augustini Deo militare cœpit: Tali igitur modo cœpit ordo *Præmonstratensis* sub Patre Norberto florere, & tanquam vinea fructifera suos circumquaque palmites propagare, cœpit autem circa Pascha An 1120.

Per idem tempus erat in *Auscissiodorensi* matre Ecclesia, clericus quidam *Iteuias* nomine, deuotè ibidem seruiens, nullos tamen redditus illic habens, vir quidem simplicis animi & minoris industriæ, sed probati testimonij & conuersationis honestæ. Erat verò apud eandem urbem ultra *Icaunam* fluuium, locus, quem olim B. Germanus in cœnobium Monachorū extruxerat, & copiosè ditarat, in quo etiã fuerat eiusdem præsulis cella, sanctorum eius gemituum cruciatuūque conscia. Is itaq; locus, vbi quòdam celebriter religio sacra floruerat ad tantam tunc dirutus vastitatem deuenerat, vt vbiq; fruteta succres-

*Præmonstratēsi* venit.

ANNO  
1120.

*Iteuias* Auscissiodorensis  
clericus & cœnobij  
S. Mariani Auscissiodorensis.

cref-

crecserent, vbiq; circumhabitantium gal-  
linæ liberè discursarent. Porro præfatus  
vir dum in vita B. Germani relegeret, vel  
lectum audiret, quanto hic locus in diebus  
antiquis claruisset præconio sanctitatis, vt  
erat deuoti animi, afficiebatur medullitus  
videns locum penitus desolatum, olim  
tam celebrem, tam præclarum.

**ANNO**  
**1129.**  
*Vallis lucens*  
*fundatur.*

*Oratorium S.*  
*Germani ab*  
*Innocentio*  
*II. dedicatur*

Anno Domini 1129. Ecclesia *Vallis lucē-*  
*tis* fundata est. Anno sequenti Honorio  
Papa defuncto, Gregorius Cardinalis Dia-  
conus & Petrus Leonis ad Papatum eligū-  
tur: Gregorius Innocentij, Petrus Anacle-  
ti nomine alterantur. Sed Petro ob paren-  
telæ suæ fortitudinē apud S. Petrū cōmo-  
rāte, Innocētius Roma egressus, in Gallias  
proficiscitur, & gallicana sibi adhærente  
Ecclesia, Cōcilijs celebratis, primò Remis,  
secūdo Parisiis in Papatu cōfirmatur; Et  
Petrus ab omnib. Galliæ & Germaniæ E-  
piscopis anathematizatur. Porro Innocētius  
Papa, cūm Autissiodorū deuenisset, supra  
memoratus vener. *Iterius* ipsum adiit, ob-  
nixè rogās, vt locū, quē iam ex parte refe-  
cerat, dignanter inuiseret; ibiq; altare sub  
beatiss. Germani titulo dedicaret. Quod  
pius Papa benignè annuit, & altare solēni-  
ter consecrans, diuina ibidē mysteria cele-  
brauit. Videns quoque innumerabile po-

puli

puli adesse concursū, Sermonē fecit ad populum. Sic exorsus: *Verè*, inquit, *locus iste sanctus est, & ego nesciebā*, &c. Sanè ex tunc cœpit idem locus reuerentiùs honorari, adiri frequentiùs, & copiosiùs ampliari.

Anno 1135. Præmōst. Ord. venit Dei locum. Anno 1138. apud Autissiodorum clarus habebatur *Iterius*, de quo iā suprā fecimus mentionē, vir quidē etsi non multa literatura præditus, in ædificatione tamen adeò sermone profusus, vt omnib. esset admirationi, tã eloquēdi copia, quã gratiositate audiendi. Hic videns locū, quē reædificandum susceperat, nō tã sua industria, quã Dñi gratia sub se & per se assidua capere incrementa, cœpit apud se pensare altiùs, seq; reputare felicem, si conuentū ex Præmonstr. Ord. illuc adducere posset, qui iugiter Deo inibi deseruirent. Quod ergo minùs per se poterat, per alios implere parat. Adit & consultit venerandum *Hugonem* Episcopum, & *Guilielmum* Niuernensem Comitem, nec non & Comitem *Theobaldū*, viros tã vita laudabiles, quã in seculo potētes, Horū Concilio, & auxiliij promissione munit, Præmōstratū petijt, & à vener. *Hugone*, tūc Præmōst. Abbate, quæ petebat obtinuit. Fratres itaq; ad cōuētū deliguntur, eisq; Dñs *Rainerus* Abbas præfificitur: prius

Præ-

ANNO

1135.

Dei locus  
fundatur.

*Oratorium  
S. Germani  
apud Altis-  
fodorum  
traditur  
Præmonstr.*

**ANNO**  
**1139.**  
*B. Rainerus  
I. Abbas.*

*Capella  
monicilium*

Præmonstrati Prior, & ex magna parte Præmonstratensis ordinis institutor. Literaturæ verò tantæ, tamque prudens consilij, vt in toto Præmonstratensi ordine vix eo posset potior inueniri: mira grætia præpollens in cunctis, nisi quod laborabat incommodo modicæ surditatis. Venit igitur in locum designatum cum fratribus, anno Domini 1139. Innocentij Pape decimo, Ludouici iunioris regis Francorum, post mortem patris sui, tertio. Erat autem idem locus tenuis admodum & angustus. Amplificandi verò vix vlla spes erat, cum hi, quorum possessiones locum circumcingebant, nullatenus acquiescerent, eas aut vendere, aut pro æquè valentibus commutare. Cum itaque eos opprimeret, hinc loci angustia, hinc tenuitas facultatû, præfatus Niuernensis Comes, inter alia plura beneficia dedit eis terram, vbi grangiam quæ *Capella* dicitur, extruxerunt, vbi etiam Sorores per aliquantum temporis habitarunt. Dedit quoque eis molendinû de stagno, sed & ipsum postea stagnum adijciens molendino. Dominus præterea Hugo Episcopus non modica spes eorum auxiliij, eò, quòd & ipse ordinem fecisset adduci, inter cætera beneficia per plura quæ contulit, terram grangia *de bosculo*

emit

emit eis de proprio. Denique considerans locum nimiae arctitudinis esse, non posse ordini suo congruas dilatari vel extrui officinas, maximè propter tenaciam circumiacentes possessiones habentium, inito consilio Ecclesiam *S. Mariani* in Antissiodorensi suburbio sitam, eis cum suis appenditijs concessit habendam: Cuius Ecclesie Canonicis id proposuit optionis, ut aut inde recederent, aut superuenientium fratrum Ordini se conformarent. Illuc ergo Fratres adueniunt, ubi etiam multas tam loci, quam rerum angustias pertulerunt. Denique cum ob sæcularium inquietudinem, in sinistram partem Ecclesie disposuissent officinas transferre, rogauerunt quendam ibidem habitantem Canonicum, ut pro domo sua reciperet commutationem aut pretium. Qui cum omnimodis reniteretur, iusto Dei iudicio mox grauiter infirmatur, & quinta die sequentis hebdomadæ traditur sepulturæ: Sic obtinuerunt à mortuo, quod à viuente non potuerant extorquere. Porro *Domnus Rainerus* vir consilij sapienter agebat in omnibus, suos & verbo instruens & exemplo præcedens: quem etiam multiplex corporis infirmitas opprimebat, propter paupertatis incommodum, quod cum cæteris in nullo sibi in-

*S. Mariani  
cœnobium  
fundatur.*

*Raineri Ab-  
batis laus.*

X

dulgen-



dulgentior sustinebat. Hoc tamen duplici incommodo, paupertatis scilicet & infirmitatis, frangi non poterat, vtpotè quem exercitatio virtutis diutina in sacra religione fundarat. Sanè cùm tot in eum diuinæ gratiæ confluxissent dona, non potuit sub modio latere lucerna. Siquidem S. eū Bernardus tam Regi quàm Principibus notum fecerat & famosum, vtpotè quem nouerat virum multæ virtutis, discretionis eximiæ, & præcipuæ honestatis, qui etiam *Vallem profundam* eisdem fratribus impetrauit à Rege donari.

*Vallis profunda.*

ANNO  
1146.

*B. Rainerus  
Abbas moritur.*

Anno 1146. Domnus *Rainerus, S. Mariani* l. Abbas quibusdã de causis Præmônstratū profectus, dū rediret, apud Pruinū ægritudinis lecto decubuit, vbi *Theobaldus* Comes Principū illustris. eum sæpius visitauit, vtpotè quē sciebat virū sanctum & iustū, & sua visitatione dignissimum. Post paucos aut̄ dies, ingrauescēte morbo, beatū vitæ finē ibi sortitus est, & in Xenodochio quodã pauperū, vt ipse petierat, inter pauperes, pauper Christi sepultus est. Postmodū verò eodē Xenodochio in Abbatia Canoniorū, quæ nūc S. Iacobi dicitur, cōmutato, cōtigit eiusdē loci Ecclesiā ampliari, & intra eiusdē Ecclesiæ ambitū eius includi sepulcrū: vbi nūc, vt fertur, multæ lan-

guen-

guentibus curationes præstantur, quibus viri Dei meritum declaratur. Obijt autem prid. Kal Martij, expletis, postquã Abbas effectus est, sex annis, 3. mēſibus & 20. diebus: cui ſucceſſit *Bertholdus* Vrbe Colonia oriundus, vir vitæ probabilis, & manſuetudinis præcipuæ: qui cūm vñdecim mēſibus præſuiſſet, obijt: eiq; *Osbertus* ſucceſſit.

Anno 1152. *S. Gilbertus*, ex potenti milite ſæculi, humillimus miles Chriſti, eleemoſynarū, abſtinentiæ, paupertatis admirandus exemplis, apud ſcolã, Aruerniæ vicum, migravit ad Dñm. Sepultus eſt aut in monaſterio. nō procul à præfato vico, vbi Præmoſtratenſiū ordinē, pij laboris inſtitia, ipſo anno adduxerat, cui⁹ magnitudinē meritorū, miraculorū magnitudo declarat.

ANNO  
1152.  
*S. Gilbertus*  
moritur.

Anno 1155. dimiſit *Osbertus* Abbatiam ſuam expletis annis octo, Domnumque *Milonē* habuit ſucceſſorem.

ANNO  
1155.

Anno 1166. *Radulphus* Antiffiodoreñſis Eccleſiæ Theſaurarius obijt, vir non parvæ in ſæculo gloriæ, eò quòd genere moribusq; clareret, & diuitijs non mediocriter redūdaret. Hic cū ſibi finē cerneret imminere, miræ deuotionis, miræ pœnitudinis cœpit eſſe: & cū alios parētū, quos deſerūt. amor afficiat, cura ſollicitet; ille omni affectu poſthabito carnalis parēteſq; nihil eis

ANNO  
1166.

omnino voluit impartire, ut omnium, que possidebat. Christum hæredem faceret; immo fieret Christi hæres, cuncta, que habuit, disposuit Ecclesiis dilargiri. Ex quibus S. Mariani Canonicis maximam contulit portionem, unde tenuitas eorum non modice est aucta. Seipsum quoque illis conferens, mirè deuotus & pœnitens, exitum inter eos vitæ sortitus est: quem ob beneficii & dilectionis eius erga eos maximæ monumentum, in presbyterio ante maius altare tradiderunt sepulturæ.

ANN O  
1169.

Anno 1169. Canonici S. Mariani sedem pristinam mutauerunt xvi. Kal. Decemb. in locum quæ nunc inhabitant, venientes die dominica cum processione celeberrima, & innumerabili clericorum laicorum que Caterua. Qualiter autem eundem locum fuerint assecuti, paucis est expediendum ad memoriam posterorum. Cùm post *Osbertum* regimen Abbatia suscepisset Dominus *Milo*, pensare cœpit attentius, quia loci prioris habitatio nec amplificandis officinis foret congrua, nec ordini conseruando, tum quia eos loci angusta premeret, tum quia ex nimia vicinitate vrbis grauamen eis multiplex proueniret. Nam audiebantur frequentissimè catilena muliebres. plausus seculares, strepitus popu-

lares;

lares; eò, quòd loco illi fons esset còtiguus, ad quem ex tota vrbe iugis omnium fit occurfus. Proinde considerans præfatus Abbas, quia inter tot strepitus sæculi, difficillimè possit quies animi custodiri, locū cœpit inquirere, qui paululum ab vrbe remotior, plus haberet quietis, & officinis foret competentior extruendis. Ad hoc itaque tam ei, quàm fratribus locus ille placuit, qui B. Martini Ecclesiam, cœnobium quondam Virginum, circumcingit. Videns verò quia non facilè obtineri posset, eò quod plurimos habitatores haberet, Comitem Niuernensem, qui apud S. Germanum postea sepultus est, adit, rei pandit negotium, supplicat, vt sibi annuat quod deposcit. Tunc Comes videns locū rei, ad quam petebatur, aptissimum, quicquid in eo sui erat dominii, concedit Abbati: suis quoq; hominibus illic habitantibus, vt locum exoccupent, imperat, & terram eis, ad quam domos suas congruè transponant, adsignat. Exoccupato deniq; loco, ædificiorum disponitur amplitudo, iaciuntur fundamenta, eriguntur structura, iamque completis aliquot officinis, anno prædicto venerunt vbi nunc sunt, trahente eos desiderio tum amplitudinis, tum quietis.

*S. Mariani  
cœnobium  
transfertur  
ad locum  
còmodiorem*

Cæterum Robertus, auctor Chronici Altissiodorensis, ex quo ista hæcenus desumpsimus, factus est religiosus in cœnobio S. Mariani, anno 1172 vt ipse hoc disticho testatur:

*Annus hic ipse mihi, sextus decimus fuit cui,  
Quo mea, Christe, tuo præbeo colla iugo.*

Obijt autem dictus Robertus anno Christi 1212. ob pietatem ac doctrinam singularem mirificè laudatus ab Hugone pariter Canonico S. Mariani Altissiodorensis, qui Roberti Chronicon vsque ad an. 1228. continuauit. Tradit verò idem Hugo, plurimos Abbates Ord. Præmonstratensis an: 1215, concilio generali Lateranensi interfuisse; eodemque tempore Ecclesiam S. Quirici, in diœcesi Reatina, Præmonstratensibus ab Innocentio III. traditas fuisse, amotis inde monachis ob vitam liberiores.

*S. Quirici  
Abbatia  
n. 1215.*

